



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XII. Idem (a) Lundon. Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

## CAPUT XII.

Idem (a) *Lundon. Episcopo.*

SI verò aliquando ordinatio alicujus Ecclesie ad tuam institutionem spectat, & pro controversia laicorum de jure patronatus inter se discrepantium malitiosè differtur: fas tibi sit de auctoritate nostra, nullius ap. vel contr. ob. in eadem Ecclesia personam idoneam instituere, ita quod ipsa representaretur ab eo, qui jus patronatus evicit.

## NOTÆ.

1. (a) *Lundon.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 15.* & post Concil. Lateran. p. 15. cap. 12. ubi textus hic tribuitur non Alexandro III. sed Lucio III. ut in hac sexta compi-

latione, in qua legitur *Lincon.* quod verius credo, & ita existimo auctorem hujus textus esse Lucium III. & in presenti referri partem textus in c. *ad aures, de rescript. c. postremo, de appell. c. de rectoribus 3, de cleric. agrot.* qui textus sunt ejusdem Pontificis, & in eis eidem Episcopo rescribitur.

## CAPUT XIII.

Idem *de fil. (a) Hosp. & Templ.*

CUM sæculum reliqueritis, ut Creatori vestro possitis in arce contemplationis placere, decet vos ab his, quæ sunt obvia rationi, abstinere, vel quæ reprehensioni subjaceant, aut vestram opinionem, & famam valeant denigrare. Inde est, quod universitati vestræ districtus per A. s. prohibemus, nec cum ratione feudorum (b) emptorum, aliterve acquiritorum, vel etiam (c) alio modo jus patronatus in Ecclesiis parochialibus acquireritis, in eis presbyteros, nisi per Episcopos instituat, nec Episcopo jus parochiale minuere, aut auferre aliquatenus præsumatis: (d) excommunicatos quoque ipsius Episcopi, vel Archidiaconorum suorum contra authentica scripta Romanæ Ecclesiæ ad divina officia in capellis vestris recipere non audeatis.

## NOTÆ.

1. (a) *Hosp. & Templ.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc titul. capite 16.* & post Concil. Lateran. parr. 15. cap. 13. De Hospital. & Templar. nonnulla adduxi in capite 16. de *judiciis.*
2. (b) *Emptorum.*] Et ita cum universitate bonorum jus patronatus potuit in emptorem transferri, ut jam probavi in capite *ex literis, hoc titul.*

(c) *Alio modo.*] Donatione videlicet, præscriptione, aut permutatione, de quibus Valens lib. 1. de *benefic. cap. 4.* Et plerumque jus patronatus spectare ad monachos, probavi in cap. 1. de *capel. monach.*

(d) *Excommunicatos.*] Hæc verba omisit Raymondus in presenti, ut minus propria hujus tituli, vel quia ex Concilio Lateran. referuntur in capite *cum & plantare, §. excommunicatos, de privil.* Commentarium hujus textus dedi supra in capite 4.

## CAPUT XIV.

(a) Idem.

EX insinuatione dilecti filii nostri O. clerici accepimus, quod cum frater suus ei jus patronatus, quod in quibusdam Ecclesiis in Lincon. & Salesberien. (b) Episcopatus constitutis habebat, liberaliter (c) contulisset, easdem Ecclesias quidam presbyteri, & alii occasione fratris prædicti O. sine ipsius voluntate, & assensu occupaverunt per violentiam, & eas injustè detinent occupatas. Quia igitur nostra interest, ea quæ minus ordinatè ab aliquibus subjectis attendantur, ad rectitudinis tramitem revocare, f. v. p. A. s. p. m. quat. rei veritate diligenter inquisitâ, & cognitâ,

D. D. Gonzal. in *Decretal.* Tom. III. Pars II.

Uuu 3

si ita,